



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXXV. Iure civili Emphyteuta, qui triennio canonem non solvit, expelli
potest:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

fit. quia intelligendum est, quando antiquus scholaris vult præferri novo conditori, non scholaris; secus quando uterque scholaris est, quia hunc dominus poterit domum suam locare, cui voluerit. Ita Barb. in c. cit. Ex rescripto, de loc. & conducto. Item ad l. 1. Part. 7. n. 51. ff. Solutio Matrimon.

XXXV.

DIFFERENTIA 8.

Jure civili Emphyteuta, qui triennio canonem non solvit, expelli potest.

l. 2. C. de jure emph. At jure Canonico biennium illi constitutum est permissa mora purgatione, c. Propter, de loc. & conducto.

Bartol. 101. Io. Bapt. à S. Blasio 40.

I. Emphyteusis implantationem, seu initionem denotat, quia fundus eo sine locatur colono, ut segete, vel arboribus conferat. Hinc ad significandum contractum accommodatur, qui contractus est concessio rei immobilis cum translatione domini utilis retento directo sub onere solvendi annuè certam pensionem, seu canonem. De hoc Bartol. & alii DD. communiter affirmant, si canon spatii triennii ab Emphyteuta seu colono non solvatur, ab emphyteusi, cum hominis privati est, excidere: si verò Ecclesiæ sit per biennii omissionem permissa tamen moræ purgatione. Elapso igitur prædicto tempore integro, & non antè, privari potest quamvis pensio, seu Canon minimi valoris sit. Neque enim hic de lucro, aut commo- do, sed recognitione utilis domini agitur. Ignorantiæ tamen habenda ratio est, quæ, si omissioni causam dederit, à culpa emphyteutam liberat, ut contingere potest in hærede, vel successore.

II. In emphyteusi ecclesiasticâ (intellige, cum res in emphyteusin data Ecclesiæ alicujus, aut pii loci est) qui

duobus annis constitutum canonem præstare negligit, nec celeri satisfactione moram purgavit, emphyteusin amittit. c. Potuit, de loc. & condu. Censetur autem celeri satisfactione uti, quante litis contestationem canonem exhibet, intellige, de verâ litis contestatione, & non de eâ, quam facit iudex in oblatione libelli. Sic igitur omittens solvere, aut solutionem neglectam excusare, emphyteusin amittit, sub conditione scilicet, si dominus proprietatis velit, ita, ut eo volente retrotrahatur pœna ad diem commissi delicti. Adde, quod emphyteuta in morâ & culpâ esse censetur, etiamsi dominus seu proprietarius pensionem non exigat, nec moneat cessantem. v. Iul. Clar. l. 4. §. Emphyteusis, q. 8. Gutier. Consil. 43. n. 9. Rebell. de oblig. iustit. par. 2. l. 13. q. 12. Fachina. l. 4. c. 96. Azor. 10. III. l. 10. c. 7. Less. c. 24. dub. 9. Laym. l. 3. Trañ. 4. c. 23. n. 8. Gaill. l. 2. obs. 48. n. 4. Palao de iust. commut. disp. 10. puncto 10. Bronchorst Cent. 1. assert. 82. Vallens. l. 3. Parat. tit. 18. §. 2.

F3

XXXVI. DIF-